



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

33. Quot & quibus modis serui manumittuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

solita officia, & munera obibant. His vero alij aliquando erant subrogati, & suffecti, & hi dicebantur serui Vicarij quorum erat obsequium & parere Ordinariis. Atrienfes vero serui, quorum meminit Cicero in Paradocho quinto, Omnes sapientes liberos omnes stultos seruos excipere, & Vlpianus in l. Instrumenta ff. de Fundo instructo, legato. & in l. i. ff. nauis, & cauon stabularij, dicti sunt, qui suppellectilem dominorum curabant, & emundabant: moris enim erat in atrijs ædium, vel villarum, instrumenta, & multam, & copiosam suppellectilem habere: Huiusmodi serui erant in familia præcipui, quibus credebatur cura acti: vt ex Cicerone in Pisonom, & ex Columel. lib. 12. c. 3. constat.

Insularij serui dicebantur, non qui deportati, aut relegati in insulam erant, sed qui domus curam commissam habebant, quasi insularum custodes. l. vltim ff. de offic. præse. vigiliu. Est enim insula, domus, quæ vicinorum partibus non contingitur, qualium Romæ domorum innumera fuit multitudo Et teste Tacito lib. 15. Nero constituit, vt ne communione parietum, sed proprijs quæque muris domus ambirentur: vt tutiores essent ab igne, & incendio. Seruus igitur, cui cura huiusmodi insularum commissam erat seruus Insularis dicebatur.

Octauo quaeritur, Quinam serui dicebantur Mediastrini, quorum meminit Vlpian. in l. 1. §. Ceterum ff. nauis. cau. stabularij Respondeo, mancipia abiectissima, & vilissima, teste Bulcao quorum erat vilissima & sordidissima ministeria obire domi. Cogebantur enim domos verrere, purgamenta afferre, ligna congerere, & his similia. Ita vocabantur Mediastrini, quia in media domo ad imperia omnium nutusque excubare consueuerant. Cicero in Catilinam. contemno exercitum collectum ex senibus desperatis, ex agris luxuria, ex rusticis, mediastrinis, doctoioribus. Colu. lib. 1. c. 9. Separandi aratores à mediastrinis. Item mediastrini, teste Prisciano serui erant abiectissimi, qui lauantijs in balneis ministrare soliti fuerunt: ac propterea in medio balnei stare cogebantur. Horat. epist. 1.

*Tu Mediastrinus tacita prece rura petebas.*

### CAP. XXXIII.

*Quot, & quibus modis serui manumittuntur.*

Primo quaeritur, Quo nomine iura ciuilia seruos à dominis libertate donatos appellent? Respondeo, eos appellare manumissos: & donationem libertatis dicere manumissionem, sicut filij familias potestate patria soluti, & sui iuris effecti, dicebantur emancipari. Ita serui seruitutis vinculo liberati, dicebantur manumissi libro quadragesimo primo Pandectarum, siue digestorum titulus 1. est, de manumissionibus.

Erat mos apud Romanos in manumissione, vt dominus caput serui, aut aliud membrum tenens, ter diceret: *Hunc hominem liberum esse volo*, & mittebat eum è manu quasi sua potestate, & dominio.

Secundo quaeritur, Quot modis manumissio fieret? Cicero in Topicis tres species manumittendi, vel libertate donandi recenset, numerauit ille tantum eas, quæ suo tempore erant. Aut enim manumissio fiebat censu, aut vindicta, aut testamento. Vnde Digestus libro quadragesimo, sunt tituli de manumissionibus, videlicet, De manumissis vindicta: De manumissis testamento, & alijs similes. Quas species manumissionis Boetius explicat. Censu fiebat liber, qui consentiente populo, vel iubente domino, nomen dedisset in censum. Sic enim ciuis Romanus fiebat, & seruitutis vinculo soluebatur, non enim censabantur antiquitus, nisi ciues Romani. Vindicta fiebat quis liber, cum Prætor, Præses, Consul, Præfectus Ægypti, Proconsul, vel legatus eius serui capiti raso virgam imponens, aut licet eius iussu, eundem in libertatem vindicabat, quædam solemnitas vel a dicens, ille virga, vindicta vocabatur: Vnde Poetæ carmen est:

*Vindicta postquam meus à Prætoris recessit.*

Ea enim virga tangebatur caput serui rasum Magistratus, vel licitor, & dominus manu eius apprehensa vertebarat seruum, & è manu emittebat, dicendo eum esse liberum, Morem veterem circa hanc manumissionem eleganter descripsit Sigonius, ex Boetio, Festo, Valerio, Probo, Donato, his verbis: *Qui manumittere seruum apud Prætorum volebat, eius, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenens, ad Prætorum ita dicebat: Hunc hominem liberum esse volo. Et emittebat eum è manu. Idem tamen Sigonius alio in loco ex Isidoro libro nono, refert Romanos, eos quos manumittebant, alapa percussos circumegisse atque ita de manu misisse. Prætor autem vindicta, id est, virga eiusdem serui capiti imposita ita dicebat: Dico eum liberum esse more Quiritium. Inde conuersus ad licitorem, addebat: secundum tuam causam fac sicut, dixi: Ecce tibi vindicta. Tunc licitor accepta à Prætoris vindicta, caput serui percutiebat, faciem palma, tergumque vertebarat. Quibus actis, nomen manumissi in acta à scriba referebatur, adiecta causa manumissionis.*

Dicta est autem vindicta à Vindicio, vel Vindice quodam, qui Vitelliorum seruus, quod conurationem anno primo post reges exactos detexit, primus vindicta liberatus esse memoratur. Etenim, vt conuentionis iudici præmium fuit pecunia, data ex arario, atque ex eo tractu teste Lilio, nomen vindictæ est. Vnde postea inquit, obseruatum est, vt qui ita liberati in ciuitatem recepti viderentur.

Testamento, aut codicillis testamento confirmatis fiebat quis liber, quem dominus suprema voluntate in testamento liberum fecerat. Quod tribus modis fiebat, vel directe pureque: vel sub conditione vel per fideicommissum.

Directe & pure duobus modis. Aut enim scribebat sic: *Pamphilus seruus meus liber esto*: vel ita: *Pamphilum seruum meum liberum esse volo*: aut verbis ad hæredem directis scribebat: *volo vt Titius hæres meus seruo meo Pamphilo libertatem largiatur*. Directa quidem, quia ipse testator per se ipsum manumittebat: Indirecta vero quia libertatem relinquebat, vt per hæredem, vel legatarium seruis daretur. Vnde fideicommissaria libertas indirecto relinquebatur. l. 1. C. de lege Fufia Canina tollenda. Para vero erat manumissio, quia testator absque vlla conditione seruum manumittebat.

Porro manumissio sub conditione, duobus modis fiebat: Aut enim libertas relinquebatur in diem, aut sub conditione, in diem, vt si testator dixisset: *volo, vt Stichus seruus meus sit liber duodecimo anno, postquam diem obiero*: vel si dixisset: *si liber postquam hæredi meo Cneo serueris triennio* Sub conditione libertatis relinquebatur, vt si testator dixisset: *Stichus seruus meus sit liber, si Titius hæres meus fuerit factus consul*. Hi autem serui, quibus testator libertatem relinquebat, vel in diem, vel sub conditione, dicebantur statim liberi, donec dies veniret, vel conditio existeret. Glossa in l. 1. ff. de statu liberis. Vnde etiam in Digestis, tum in Codice, titulus est, de statu liberis.

Manumissio eadem, vel potius libertas per fideicommissum dari poterat, vnde libr. 40. Digestorum est titulus 5. De fideicommissariis libertatibus, & lib. 7. Codicis titulus 7. est, De fideicommissariis libertatibus. Solebat autem huiusmodi manumissio fieri, vel dari largius, quam directo: nam non tantum proprijs, sed & alienis seruis per fideicommissum libertas dari poterat: ita tamen, vt vulgarijs verbis, & quibus euidenter voluntas testatoris exprimeretur. l. Libertates ff. de fideicommissariis libertatibus. Dabatur etiam libertas per fideicommissum, dupliciter: aut enim testator libertatem relinquebat, vt daretur per hæredem institutum, aut per legatarium, & ita dicebat: *Volo vt Titius hæres meus manumittat Stichum seruum meum*, vel dicebat: *Rogo vt Caius, cui certum legatum relinquo, emat Pamphilum seruum Sempronij, & manumittat eum*. Illi itidem serui, quibus per fideicommissum libertas dabatur, dicebantur statim liberi, donec per hæredem, vel legatarium libertati essent restituti.

Tertio quæritur, Quænam manumissio sit ea, quæ in Ecclesia, siue in æde sacra fiebat? Respondeo, censu obsoleto per contrarium usum, libertatem, & ciuitatem Romanam dari seruis cõpisse in æde sacra, siue in Ecclesia. Vnde lib. 7. Codicis est titulus ordine 16. *De iis, qui in Ecclesiis manumittuntur.* Fiebat hæc manumissio in æde sacra, aspectante plebe, & coram Aristite qualicunq; scriptura, in qua subscribebant hi, qui libertatem dabant l. 1. §. 2. *De iis qui in Ecclesiis manumittuntur.*

Quarto quæritur, An fuerint alij modi apud Romanos manumittendi seruos? Respondeo, fuisse alios tres modos, quos iuriconsulti naturales appellant, videlicet inter amicos per mensam, & per epistolam, quorum trium modorum meminit Iustinianus Imp. *Instit. de Libertinis, §. Multis autem modis.* Inter amicos manumissionem vocabant cum quispiam à Domino præsentibus amicis manumitteretur, in qua manumissione si per vltimam voluntatem fieret, quinque testes requirebantur, vt ait Gloss. *Instit. de Libertinis, §. citato, in verbo, inter amicos, cõl. 1. C. de Latina libertate tollenda, §. Sed cõ si quis, vbi dicitur, Sed cõ si quis inter amicos libertate dare seruo suo maluerit, licebit ei similiter quinque testibus suam explanare libertatem: cõ quod liberum eum esse voluerit, dicere: cõ hoc siue inter acta fuerit testificatus.* Et interpretatur Glossa: *præsentibus iudice, & tabellione, & quinque testibus interuenientibus, & subscriptione manumittentis, & testium siue testium voces attestationem sunt amplexa: cõ literas tam publicorum personarum, quam testium habeant.* At si inter viuos huiusmodi manumissio fieret, duo tantum testes sufficebant, vt aliqui putant.

Per mensam manumissio fieri dicebatur, quando seruus libertatis dandæ gratia, in conuiuium à domino adhibebatur. Per epistolam, quando seruo absente, missis literis dominus permittebat, vt liber viueret. Hæc itidem manumissio quinque testes requirebat. Nam in l. 1. *de Latina libertate tollenda, §. Sancimus,* habetur sic: *Sancimus itaque, si quis per epistolam seruum suum, in libertatem perducere maluerit, liceat ei hoc facere quinque testibus adhibitis, qui post eius literas, siue inscriptione positas, siue per totum textum effusas literas supponentes, fidem perpetuam possint chartula præbere. Et si hoc fecerit, siue per se scribendo, siue per tabularium libertas seruo competat, quasi ex imitacione codicilli delata.*

Quinto quæritur, Quot fuerint genera apud Romanos manumissorum? quod est quærere, quot fuerint genera Libertorum, siue Libertinorum hominum? Respondeo, ex *Instit. de Libertin.* tripartitum olim fuisse statum Libertinorum vt Iustinianus Imperator loquitur, siue potius Libertorum. Nam qui manumittebantur, modo maiorem, & iustam libertatem consequerentur, & fiebant ciues Romani: modo minorem, & fiebant ex lege Iunia Norbana Latini: modo multo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia Dedititij.

Erant igitur tres species Libertorum, siue Libertinorũ, Dedititij, Latini, & ciues Romani. Ciues Romani fiebant, qui supradictis quatuor modis; hoc est, testamento, aut censu aut in æde sacra, aut vindicta ante Magistratũ erant manumissi Latini dicebantur, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut per mensam, hoc est, per conuiuij adhibitionem manumittebantur. Dedititij vero, qui post admilla crimina supplicio subditi, aut publice pro crimini bus cæsi erant, aut in quorum facie, vel corpore quælibet indicia, aut igne, aut ferro impressa fuerant, ita vt deleri non possent. Hi si manumissi erant, Dedititij appellabantur. Nam qui seruus publice vindictus, aut noris iniustus, aut publice verberatus fuisset, si manumitteretur, dedititiam libertatem consequeretur, neque ad hoc vquam perueniebat vt ciuis Romanus esset. Vnde Vlpian. lib. 1. *Ad l. Æliam, Sentiam, cõ lib. de Institutionibus* ait: *Dedititiorum numero sunt, qui poena causa vinciti sunt à domino, quibusve stigmata inscripta fuerunt, qui propter noxam torti nocentesque inuenti sunt: qui ve traditi sunt vt cum ferro, aut cum bestis depugnarent: vel in custodiam deiecti fuerunt, deinde quoque modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit: Hæc ille.*

Quare inter hæc tria genera Libertorum discrimen erat. Nam ciues Romani meliorem statum habebant, quia & testamenta facere poterant, & ex testamento quibuslibet personis succedere: At Latini, & Dedititij, nec testamenta condere, nec sibi ex aliorum testamento dimissum quiddam vendicare poterant: & eorum bona iterum, cum morerentur, ad patronos deueniebant: vt tradunt ij, qui hac de re scripserunt Auctores. A dedititijs vero Latini differabant: quod ij nulla ratione poterant vquam ad ciuim Romanorum priuilegia peruenire, nimirum, vt testamenta facere, & ex testamento alijs quibusuis succedere iure possent: illi vero, id est, Latini, si iterum testamentum, aut censu, aut vindicta, aut in æde sacra manumitterentur, plane ciues Romani fiebant, hoc est, ciuim Romanorum priuilegia consequerentur. Vnde apud Phinium libro septimo, dicitur: *Proconsul prouinciam Beticam, per Titium ut periturus: spero, immo confidam facile impetraturum, vt ex itinere descedat ad te, si vobis vindicta liberare, quos proximo inter amicos manumissisti.*

Iustinianus vero Imperator, duas constitutiones edidit; in quibus Dedititiam, & Latinam libertatem aboluit, & voluit, vt sola libertas, & ciuitas Romana locum haberet in l. 1. *C. de Dedititia libertate tollenda, abrogauit Dedititiam libertatem, & in l. 1. C. de Latina libertate tollenda, totam Latinam libertatem veterem sustulit, ac voluit plenam libertatem & ciuitatem conuenire ijs, qui manumittebantur per epistolam, quinque tamen testibus adhibitis qui ite inter amicos seruicij vinculo soluebantur eorum totidẽ testibus. Item voluit, vt si ægrotus seruo domo eiectus esset, fieret ciuis Romanus; qui tamen olim edicto Claudii Imper. libertus solum Latinus fiebat. l. 1. *C. de Latina libertate tollenda, §. Sed scimus.* Item constituit, vt si ancilla itidem aduersus conditionem venditionis prostituta esset, plenã & iustam libertatem consequerentur. l. citata. §. *Similique modo* Et qui pileati domini funus antecederent, si id fieret voluntate testatoris, vel hæredis, plenam libertatem adipiscerentur: & illi, qui cadauer ventilare in lectulo viderentur, plene liberi fierent l. supradicta. §. *Sed cõ qui.* Hi eiusmodi erant atque ij, qui in funere Pontificum, aut optimatum hodie ad cadauer atrati cum insignibus atque stibellis ministrant.*

Sexto quæritur, An aliquando inuitis dominis serui libertate donarentur? Respondeo, hac etiam ratione seruos in libertatem restitui consueuissẽ: libertas enim illis dabatur auctoritate legis, absque dominorũ consensu: & id fiebat fauore libertatis contra seruitutẽ. In l. *Si de seruo, cõ quibus ex causis serui pro premio libertatem accipiunt,* habetur: *Si desertorem militis seruum prodiderit, libertas donetur. in l. Si quis seruus, C. eodem titulo, dicitur: si quis seruus, raptus virginis facinus dissimulatione præteritum, aut pacione transmissum, derulerit in publicum, libertate donetur. in l. Serui, C. eodem titul. Serui, qui eos qui adulterinã monetaam clandestinis sceleribus exercent, in publicum derulerint, ciuitate Romana donentur. cõ si scus det domino precium serui. in l. Quoniam, C. eod. titul. Seruus qui domini necem indicauit, libertatem consequitur, sententia contra interfectorem lata, non ante. in cap. De Infantibus, & languidus expos. Si dominus languidus exposuit, aut ei alimenta denegauit, seruus efficitur liber, & ingenuus, nec qui etiam ad alendum fuerat susceptus, potest sibi ius aliquod vendicare. Idem statutum fuerat iure ciuili: videlicet, lege 2. & 3. *C. de Infantibus expositis.**

Item, si ancilla fidelis à domino in turpem actum prouoocetur, iure fugere potest, & Episcopi officium inuocare, cuius auctoritate dominus eam manumittere cogatur. leg. *Si lenones. C. de Episcopali audientia.* Item, si Iudæus, vel Paganus, vel Hæreticus, seruum iam Christianum factum quacunq; causa & ratione possideat, cum amitteret etiam nullo precio recepto: quod si nondum Christianum factum secum habeat, & is baptismum suscipere voluerit, eo ipso quod fuerit Christianus effectus, libertatem consequitur: qua non priuatur, etiam si postea Dominus ad Christi fidem, & religionem conuertatur. l. *Deo nobis §.*

*Et nota C. de Episcop. & Cleric. l. ex totū tantum habet in his Iudæis & Paganis, qui sunt Principum Christianorum ditioni subiecti, quos ob bonum fidei & religionis Christianæ ipsi Principes iure & dominio in seruos Christianos spoliaré merito queunt. Item, in l. unica. C. ne Christianum mancipium, statuitur: si Iudæus mancipium suum à fide Christiana alienum circumciderit, eo ipso eius seruitute priuatur: quod etiam locum habet in Iudæis, qui sunt Christianis Principibus subiecti. Item, si quis seruum suum hæredem instituat, vel tutorem filio suo relinquat, non ignorans eum esse seruum suum, eo ipso eum libertate donare intelligitur. *l. Quidam. C. de necessariis seruus hereditibus institutus. §. Idem. quoque iuris. l. c. in l. vltim. C. Communia de Manumissis. habetur: Si vir solutus suam ancillam habuerit concubinam, & cum ea eo pacto perseverauerit usque ad mortem licet eum ancilla, tum filij, si quos ex illa suscepit, serui maneat, dum ille viuit: & liberum sit illo mortis tempore seruos illos relinquare, vel legando eos, vel pronuntiando ut hæredes serui sint: si tamen nubi de illis pronuntiat, tunc morte domini liberi manent. Si quis item suum seruum adpeter in filium, et libertatem tacite concedit. *Instit. De Adopt. §. vltim. Si quis liber eum ancilla matrimonium contraxerit eius seruitutem ignorans, & dominus, vel illam ei iradat in matrimonium sciens, hoc est, non detegens seruitutem, vel sciens contrahi matrimonium potest non detestari seruitutem, eo ipso ancilla libertatem consequitur. In Authen. De nuptiis, §. Si vero ab initio. Et eadem iuris est de femina libera nubente seruo. Alicubi Principum leges, vel statuta populorum extant: quibus decernitur eo ipso, quod dominus matrimonium contrahit cum sua ancilla, tum illam, tum filios ex ea genitos libertatem adipisci.***

Septimo queritur, Ex quibus causis Manumissio reuocetur? Respondeo, multis de causis, præsertim vero, cum liberus est patrono ingratus, aut eum aliqua iniuria afficit. *Auth. ut liberi de castro. §. Illud collat. 6. & cap. vltim. de Donationibus.* Nam quem admodum, ut in eo capite dicitur, propter eius ingratiudinem, in quem libertas est collata, donatoris persona de rigore iuris eam poterit reuocare, si forte in ipsum impias manus iniecit, aut sibi atroces iniurias, seu graue rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit: Sic etiam in prædicta *Auth. serui manumissi*, in seruitutem pristinam reuocantur, si ipsi à quibus sunt manumissi, honorem & reuerentiam, & obsequium non præstent, aut si eos iniuria aliqua afficiant.

Octauo queritur, An manumissio facta in fraudem creditorum, vilius sit momenti? Respondeo, nullius esse, *l. c. Qui manumittere non possunt, & inst. ex quib. causis. manumissio fiat.*

Nono queritur, quis manumittere iure possit? Respondeo, dominus, si vigesimum ætatis annum exeerit, & liberam habeat suorum bonorum administrationem, minori vero viginti annis iure non licet manumittere inter vivos, nisi ex causa: & tunc si maior fuerit decem & septem annis, *l. Si minor. C. Qui manumittere non possunt: l. vltim. de Testam. l. c. Sed hodie Episcopus itidē iure potest manumittere seruos Ecclesiæ, & alios benemeritos: dum modo tamen det Ecclesiæ pro vno duos eiusdem meriti, & peculij. *Episcopus qui mancipium. l. 2. q. 2. Item, licet etiam Episcopo seruos Ecclesiæ manumittere poterit, & misericordie causa, *Cum redemp. l. 2. q. 11. At Abbati non licet seruum Monasterij manumittere absque consensu Episcopi, & Monachorum, *ca. Abbati dist. 54. Hoc locum habet in eo Abbate, qui est Episcopi potestati subiectus, non aut in eo, qui est ab eo exemptus. Et quamuis ex iure scripto nequeat Abbas seruum monasterij manumittere absque Monachorum consensu potest tamen ratione consuetudinis, ubi cumque ea viget, ut colligitur ex *c. Nastiur. De ys que fiunt à Prelatis. Insuper si seruus sit multorum communis, potest ab vno manumitti, dummodo tamen is alios domi-*****

nos damno non afficiat, *leg. 1. C. de communi seruo manumittendo.*

Decimo queritur, In quibus consistat ius patronatus, quod habet patronus in liberos quos libertate donauit? Respondeo, cum *Glossa in l. vlt. C. de Bonis liberti* in sex. Primo enim liberto non datur turpis actio in iudicio aduersus Patronum, *§. Honoris, & l. Parent. ff. de obsequiis.* Secundo non admittitur turpis acceptio contra Patronum, *l. Apud §. Aduersus, ff. de accept. Dominorum.* Tertio libertus debet reuerentiam, & obsequium Patrono, *l. si non sortem, §. Libertus, ff. de condit. indub.* Quarto debet libertus Patrono alimenta, si tunc ita ad egestatem redactus *l. si quis à liberis, §. solent, ff. de liberis agnos.* Quinto, iure potest patronus libertum in seruitutem pristinam reuocare, si ab eo fuerit iniuria affectus: ut dixi. Sexto, patronus ius habet in bonis liberti succedendi: hæc ratio libertus debet ei relinquere tertiam suorum bonorum partem, si ea bona centum aureos exsuperent, & libertus careat filijs, cum decedit: si vero in bonis minus habeat quam centum aureos, nihil debet patrono dimittere, quod si intestatus decederet nullo filio legitimo relicto, succedit patronus in omnibus bonis eius, *Instit. de liberis, §. Libertinorum.*

Vndecimo queritur, An qui ob delictum factus est seruus pœnæ, manumitti queat? Respondeo, iure non posse, nisi indulgentia Principis, *Abb in c. Ita quorundam de Iudæis.*

Duodecimo queritur, Quo differat qui est manumissus ab Ecclesia, ab eo qui est manumissus à priuato homine? Respondeo, cum *Hosti.* in primis differre, quod libertus Ecclesiæ in pristinam seruitutem redigitur propter operas quas libet non præstiterit: ac vero libertus priuati hominis non nisi ratione iniuriæ in Patronum commissæ, aut propter operas necessitatis, ac debitas ei denegatas: ut si libertus patrono indigni alimenta non dederit. Deinde filius liberti Ecclesiæ etiam natus post manumissionem, est Ecclesiæ addictus & obligatus, *c. de liberis l. 2. q. 11.* non est tamen idem iuris in filiis aliorum libertorum, *l. c. de liberis.*

## C A P. XXXI V.

### Quidnam iuris potestatis habeat dominus in seruum.

PRIMO queritur, An dominus vitæ & necis imperium & potestatem habeat in seruum? Caius Iurisconsultus in *l. ff. de iis qui sui, vel alieni iuris sunt*, ait, potestatem dominorum in seruos, esse iuris gentium: nam apud omnes præque gentes animaduertere possumus dominis in seruos vitæ necisque potestatem fuisse: sed hoc tempore nullis hominibus qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine causa legibus cognita in seruos suos, sanire. Nam ex constitutione Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam qui alienum seruum occiderit. Sed & maior austeritas dominorum, eiusdem Principis constitutione coercetur. Hæc ille. Hæc omnia ex Cato habet Iuliana Imperator. *Instit. de his qui sui, vel alieni iuris sunt, §. in potestate. Et in l. si dominus ff. eo. tit. Vlpianus refert constitutionem Pij Antonini cuius verba sunt: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi: sed dominorum interest, ne auxilium contra sanctiam, vel infamiam, vel intolerabilem iniuriam denegetur eis, qui iuste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statum confugerint. Et si vel durius habitos quam æquum est, vel infami iniuria affectos cognouerit, venire iubet, ita ut in potestate domini non reuertantur. Sic Antoninus subiungit Vlpianus: Adrianus etiam Imperator Vmbriam quandam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas suas atrocissime tractasset. Sic Vlpianus.*

Sciendum est, olim apud Romanos dominis licuisse impune seruos occidere: vnde leuissimis ex causis irascebantur

tur